CAPUT I.

EX PROLEGOMENIS THEOLOGIAE.

I. Religio naturalis ad veram felicitatem consequendam insufficiens est;

II. Revelatio igitur generi humano utilissima est, Deo conveniens, & summopere exoptanda

III. Religio revelata characteribus quibusdam sit praedita, qui vel intrinseci sunt, vel extrinseci; ad posteriores miracula & vaticinia spectant.

IV. Ab insufficientia religionis naturalis ad religionis revelatae existentiam a priori non concluditur;

V. A posteriori vero invicte ostenditur, existere religionem christianam revelatam novi Testamenti, quae judaicae V.T. successit.

VI. Libri V. & N. T. sunt divini, a viris theopneustis conscripti, atque in iis, quae ad fidem & mores pertinent, incorrupti.

VII. Ad scripturae S. sensum felicius adsequendum, & librorum sacrorum scopus, & loca parallela plurimum faciunt.

VIII. Inter latinas utriusque Testamenti versiones eminet Vulgata, quae a septimo saeculo in Ecclesia occidentali obtinuit,

& a Concilio Tridentino tanquam authentica declarata eſt; ita tamen, ut ab ejusdem Concilii Patribus non fuerit antepoſita hebraicis aut graecis fontibus.

IX. S. Scriptura neque canonem librorum ſacrorum determinat, neque clarum ubivis in rebus fidei & morum ſenſum praeſefert: hinc

X. Praeter verbum Dei ſcriptum, verbum Dei traditum admittendum eſt.

XI. Traditiones divinae potiſſimum ex ſcriptis ſanctorumPatrum, teſtium omni exceptione majorum, colliguntur; quorum moralis in materia fidei & morum conſenſus moralem certitudinem parit.

XII. De dogmatibus in Scriptura Sacra aeque, ac traditione contentis non raro controverſiae oriuntur; unde ad eas decidendas judex infallibilis neceſſarius eſt; quo munere fungitur ſola Eccleſia a Chriſto fundata.

XIII. Eccleſia ex quatuor praecipue notis diſcernitur, quae ſoli catholicae conveniunt, haecque viſibilis eſt, ejusque judicium ſeu per Paſtores diſperſos, ſeu in Conciliis oecumenicis collectos infallibile eſt.